

mibi videor videre, ex sede crucis, et agno innocentissimo in ea sedente copiosum doloris flumen egredi, et amarissimum eius aquam totum Mariae cor inundare, et Marianum paradisum non laetificare, sed affligere, et contristare. Unde d. Anselmus (de comp. Virg.): *O Domine, inquit, quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te flagellari, mactari, et carnem eius dissecari crudeliter.* Sed quomodo quaeso non lacrymaretur piissima mater, videns dilectum filium funibus ligatum instar sceleratissimi hominis ad mortem duci? Quomodo non contristaretur praecoen audiens alta voce dicentem turpissimae mortis cruci filium eius ad iudicium? Quomodo non doleat videns caput filii sui spinis teribratum, manus, et pedes clavis confoscos, faciem spulis maculatam, corpus totum variis plagis exulceratum? Quomodo tandem non vehementer vexaretur intuens quem summo amore diligebat, quem in utero suo ex Spiritu sancto conceperat, quem virgo manens pepererat, factum virum dolum, et turpissimam omnium mortem instar sceleratissimi hominis, cum aliquin vere Deus esset, inter duos latrones mactari. Hunc tam acerbum Mariae dolorem praestat silentio magis, et contemplatione veneremur, quam imperitis verbis illum prosequamur. Taceat ergo os, sed non taceat pupilla oculi tui filio, et matri compatiens: quibus sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

Causas Virginis dolorem vehementer augentes in passione Christi Domini, late, sed compendiose prosequimur.

Sanctus Antoninus Florentinus (4. p. Theol. tit. 13. cap. 41) acerbitatem dolorum beatae Virginis iuxta crucem profunda consideratione contemplantis, non audebat angelicae salutationis iubilio eam salutare, dicens, quod licet sacri verbi praecones ad propinquandum evangelicae doctrinae lac prius illam salutare soleant dulcisonae salutationis angelicae cithara utentes; hodierna tamen die cum doloris gladius animam Virginis pertransit, videor singulis concionatoribus dictum illud Elisaei prophetae, qui de Sunamite mortem unigeniti sui deplorante dixit Giezi (4. Reg. 4): *Dimitte eam, anima enim eius in amaritudine est.* Quasi diceret, opportunum magis tempus hoc est condolendi, quam salutandi, et congratulandi, angelicae salutationis cithara resonante. Unde beatam Virginem mihi audire videor lugubre illud Iob elogium: *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium;* hoc est suave illud musicum salutationis angelicae instrumentum, quo divini verbi praecones uti consueverunt, raecum adeo repertes, ut quascumque parte fides eius pulses,

non nisi tristem, ac lugubrem sonum tibi reddant: nam si Virgini dicas Ave, quod interpretatur *sine voce doloris*, non congruit illi, quae ingenti dolore plena, illud Michaeae aplice dicere potest: *Vae animae meae, quia defecti timoratus a terra filius meus, quem implevit spiritus timoris Domini.* Si appelles eam Mariam, ut illuminata interpretatur, certe cum modo iuxta crucem instar lunae eclipsatae adsit, obscuratam potius, ac tenebris offusam inveniēs. Quod si pronuncies *Dominus tecum*, respondebit, aut quod Gedeon angelo: *Si Dominus mecum, quomodo invenerunt me mala haec?* vel utique Dominus mecum fuit per plusquam triginta tres annos, partim in utero, partim domi, partim per vias; sed iam cum obierit, non est mecum. Quod si rursus eam commendans subiungas, *Benedicta tu in mulieribus*, continuo occurrit tibi: quomodo patiar nunc me benedici, audiens filium benedictum fructum ventris mei maledicti (Deut. 2): *Maledictus qui pendet in ligno?* Ecce igitur quomodo cithara salutationis angelicae versa est in plangentium, et organum Mariae in luctum flentium. Ut tamen hunc amarissimum flentium, et dolorem Virginis, magis expendamus, placet in memoriam revocare, graviter adeo divum Augustinum super mortem eiusdam amici sui doctuisse, ut (lib. confess.) haec de se fateatur: *Mirabar ceteros mortales, quia illae quem quasi non mortuum dicebant, mortuus erat, et me magis quia ille alter, eum vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dicit de amico suo, dimidium animae meae. Nam ego sensi animam meam, et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, et ideo mihi horri erat vita, quia volebam ne totus ille moreretur, quem nullum amareram. Sane haec multo magis in Mariam conveniunt. Nam si Augustini dolor adeo acerbus erat ob unius amici amissionem, dubitari non potest, quin acerbius fuerit Virginis dolor, quae Christo moriente, non solum amicum, sed patrem, sed pastorem, sed magistrum, sed Dominum, sed thesaurum cordis sui, sed filium, sed sum summum beneficentem miserat; maxime quod pene innumera Virgini tunc occurrerunt, quae moerorem eius vehementer angebant: inter quae primo loco appone profundissimam cognitionem, quam beata Virgo habuit acerbi doloris, quem dilectus eius sustinebat. Considerabat rationem violentiae, et acrimoniae, qua hostes in illum irruerunt, de qua ipse Dominus conqueritur per prophetam (Psal. 37): *Et cum faciebant qui quaeiebant animam meam; idest qui vitam mihi auferre salagebant: in omnibus enim illis locis, in quibus praecipue vitam hominis consistere opinati sunt philosophi, vim magnam fecerunt: in capite per coronam spineam: in manibus, et pedibus per diram eorum affixionem: in epate per gravissima ulcera in flagellatione inflicta: in corde per apertionem lateris: in sanguine per copiosam eius per varias corporis venas effusionem. Agnoscebat insuper b. Virgo Christi innocentiam: etenim quando quis poenam patitur, quam propter culpam meretur, non nihil mitigatur eius dolor; unde Ovidius (in suis epist.) dixit:**

Leniter ex merito quiddam patiare ferendum est. Quae venit indigne poena dolenda venit:

e contra vero quando quis innocens patitur, non pro sua, sed pro aliena culpa, acerbius dolore conficitur; unde bonus latro iniquo dicebat (Matth. 27): *Nos quidem digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit.* Agnoscebat insuper beata Virgo lenerrimam filii sui complexionem, utpote ex virgineo sanguine, Spiritu sancto cooperante concepti. Dicit autem philosophus (in *L. de sen. et sens.*), nobiliores potentias esse magis apprehensivas suorum obiectorum: unde cum potentia tactus Christi Domini esset omnium nobilissima; et quanto sensus tactus est vivacior, tanto dolor sit acutior, ut docuit Aristoteles (lib. 2. de Anim.); consequens est acerbiorem fuisse dolorem Christi, quam cuiuscumque alterius martyris, maxime quod passus est in membris magis sensibilibus, scilicet in capitis temporibus, et fronte per pungentes spinarum aculeos, et in manibus, et pedibus, clavis quatuor transfixis, in quibus magna nervorum copia viget. Ponderabat insuper charissimam mater dilectam sobolem ab omnibus derelictam: dereliquerunt enim eum non solum discipuli, qui cum eo erant, Evangelista dicente (Matth. 26): *Omnes pariter fugerunt;* unde David in persona Christi dixit (Psal. 68): *Qui me consolaretur, non inveni;* sed quod terribiliter videri potest, eum dereliquit Pater (Matth. 27): *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Agnoscebat etiam causas dolorem augentes, quas d. Augustinus his verbis adnotat (serm. de pass.): *Ipse Rex regum, et Dominus dominantium mortem sustinuit immaturam, quia in flore iuventutis violentam, quia ab aliis et beneficiis: acerbissimam, quia crucis: vilissimam, quia in medio latronum; haec ille: quibus consonant egregia verba divi Bernardi (super Cantic): O humilem, et sublimem, o altissimum, et novissimum, o opprobrium hominum, et gloria angelorum: nemo sublimior, nemo despectior: esto vilis quantum potes, nunquam Christo vilior eris. Ipse siquidem Rex regum, et Dominus dominantium fuit vilissimo pretio venalis expositus, a vilissimo populo vilissima passus, vilissimo loco crucifixus, crucis supplicio traditus, inter latrones positus, cum iniquissimis, et vilissimis hominibus deputatus, modo vilissimo tractatus. Etenim tanquam malefactor bonus Dominus captus: tanquam furiosus mansuetus vinculis adstringitur: tanquam pestifer Salvator accusatur: tanquam homicida vita hominum morti damnatur: tanquam leprosus, et immundus mundator criminum extra moenia eicitur: tanquam latro crucifigitur: tanquam flagitiosissimus confutandus ab omnibus, et intueendus nudatur: et tanquam vermis vilis, et vilissimus, summus Deus conspuitur, et conculcatur; hactenus divus Bernardus. Ponderabat praeterea beata Virgo quam multi conveniant ex variis nationibus in Hierusalem propter solemnitatem Paschatis, quae potissima omnium erat, divo Luca dicente (in Actis Apost.), de omni pene nationum conventu in Hierusalem ad illud festum. Quis autem ignoret, beatam Virginem probe agnovisse*

ingentem confusionis, et erubescientiae dolorem, quem Christus sustinebat, dum videbat singulos illorum ad patrias suas revertentes, turpissimum eius mortem, et ob ingenia scelera, ut Hebraei clamabant, palam fore evaluatos. Considerabat ad haec beata Virgo omnes, tam nobiles, quam ignobiles adversus filium suum conspicias. Imperator Romanorum Tiberius per ministrum suum Pilatum, qui eum morti adiudicavit: rex Herodes, qui illum illulsi, et sprevit: principes sacerdotum, et pharisaei, qui mortem illi inferre variis modis machinabantur: Iudas, qui tradidit eum, ut comprehenderetur; Petrus discipulus ter illum abnegans; ac tandem omnis populus valenter clamans (Marc. 15): *Crucifige eum, crucifige eum.* Expendebat item beata Virgo tanto graviorem, et amariorē esse Christi moerorem, quanto ille recte agnoscebat sibi mortem inferri ab iis, quos nullis beneficiis cumulaverat; unde per prophetam Davidem de hoc specialiter conquerens dixit (Psal. 108): *Posuerunt adversus me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea; et per prophetam Michaeam (c. 6): Popule meus quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi? responde mihi; quasi dicere: Ego patres tuos, Iacob, et filios eius tempore famis in Aegypto contrivi, ne perires; postea te feci in gentem magnam: de dura Aegyptiorum servitute te eduxi: a flagellis, quibus totum Aegyptum percussit, te liberavi; ac mare rubrum tibi aperui, ut per illud sicco vestigio transires. Pharaonem persecutorum tuum cum exercitu suo in mari demersi: Manna de caelo te per quadraginta annos in deserto pavi: aquam de petra tibi eduxi, persequentes te hostes prostravi, Seon nimirum regem Amorrhaeorum, et Og regem Basan: terram fluentem lac, et mel tibi donavi, et in ea triginta reges, et plurimas nationes tibi adversantes interfeci. In monte Sinai tibi legem dedi: de dura servitute per Esdras, Neemias, et Zorobabel eduxi: de gravi oppressionē Antiochi regis te per Iudam Machabaeum, et fratres eius eripui. Ego sum de genere tuo carnem sumpsisti: Deus cum sim, factus sum frater tuus: civitates varias tuas salutis sollicitus perambulavi, multis laboribus oppressus, regnum Dei tibi praedicaui: coecos tuos illuminavi, leprosus mundavi, claudos erecti, obsessos a daemone liberavi, surdis auditum restitui, multos loquelam, infirmis variis sanitatem, mortuis vitam. Quid plura? Praecepta Dei tibi declaravi, errores confutavi, vitia increpavi, consilia dedi, viam perfectionis verbo, et exemplo aperui. Quid aliud tibi facere potui, et non feci? Haec cine ergo reddis Domino tuo, popule virile, et insipienti? Perpendebat rursus beata Virgo, quod quanto dignior esset persona, quae offenderit, et vilipendatur, tanto magis erascit offensae, et vilipensio, et consequenter acerbius redditur poena, et dolor patientis. Cum ergo Christus Dominus in quantum homo esset ex stirpe regia, immo et totius orbis supremus rex, necnon et summus sacerdos, in quantum vero talis persona, vere esset Filius Dei naturalis, qui non rapinam arbitratu est se esse aequalem Deo; certe ea hoc*

etiam capite quanto maior fuit offensa, maior et dolor eius. Contemplabatur praeter haec omnia beatissima Virgo intensissimum dolorem animam Christi excruciantem ob peccata praeterita, praesentia, et futura, quibus homines divinum maledictum offendunt: sicut enim nullus unquam Dei offensam, hominum ingratitudinem, et peccatorum deformitatem perfectius, et intimius penetravit, quam Christus Dominus; et sicut nemo tanta charitate eum dilexit, aut illum colere, ac divinum ius illaesum servare impensius studuit, quam ille; ita nullus de peccatis contra Deum commissis vehementius illo doluit. Deipara igitur Maria cum haec omnia, et alia pleraque, quae nostram intelligentiam transcendunt, illique eatenus respecta, alta mente perpendebat, non poterat acerbissime intus non cruciari.

Verum accedens iam ad specialia aliquas causas, quae Virginei pectoris Mariae magis, ac magis augebant dolorem, illam non ultimam habere locum suspicor, quam his verbis b. Laurentius Iustinianus (*lib. de triumph. agon. cap. 11*) testigit: *Gemebat filius quod mater in tam horrendo esset spectaculo: ad cor Virgini loquebatur dicens: ut quid venisti columba mea, formosa mea? dolor tuus meum auget, cruciatu tuus transfigit me.* Idem etiam contemplantur Christum matrem prospicientem, aequa interna quadam voce dicentem: *Heu heu quo properas, quo venis mater ad fontem lacrymarum, ad locum miseriarum ruperis? recede mater, alii propera, nec enim veniens medelam languori meo ferre poteris, immo dolorem meum augetis. Interne cruciatur magis, cum te, mater, me a amore cruciari video: cruciatu meo cruciaberis mater, et ego tuo.* Agnoscebat b. Virgo se suo compassionis affectu dolorem Christi augete, qui non solum dolebat proprias, sed maternas angustias, et rursus Virgini dolor magis tunc crescebat, quia iam maior aderat ex parte Christi causa dolendi; et iterum dolor Christi novum incrementum suscipiebat ex matris dolore, quem Virgo susceperat. Unde necesse erit quasi in infinitum per hanc mutuan reflexionem, et reciprocom compassionis affectum, tam patientis quam compassi quasi in infinitum dolores crescere, adeo ut sola Christi mors poterit huic incremento finem imponere: nam quamdiu in cruce superstes fuit, semper magis, ac magis eius dolor absque ullo intrinseco termino crescebat. Unde ad hoc sine dubio respiciens divus Bernardus (*in homil. stabat iuxta crucem*) ingeniose dixit, sed non minus pie: *O dolores inexplicabiles, o ineffabiles reciprocatio sancti amoris: filius patitur, et intus valde compatiatur matri: mater vero compassa est patienti filio, tantus nempe impetus passionis in Domino Iesu fuit, ut quasi torrens ipsum impelleret patientem, et inebriaret, quia teste Psalmetra. De torrente in via bibit, ut sic Christo impleto in matrem confunderet patientem, qui similiter impleti in filium iterum redunabatur.* Unde hic impleti videbatur illud Ecclesiastici (c. 10): *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant, quia ex amarissimo afflictionum mari, quae Christum Dominum vehementer cruciabant, amari dolores in Mariam de-*

fluabant, continuo in ipsum, unde fluxerant mare revertebantur. Hinc certe necesse erit oriri in Mariano pectore ingenitum conflictum, et acerbissimam perplexitatem: nam si materna viscera dilecto filio non compatiebantur, ipsius naturae iura violare sibi videbatur; si vero ei condolebat, et compatiebatur, dolorem eius augebat. Cum ergo vellet ex una parte dolere, et ex alia dilectae prolis morerem non augere, et haec duo inter se cohaerere non possent, hinc inquam est, magnum tunc ex hac perplexitate Mariam concepsisse dolorem.

Tertia causa acerbiorum reddens Mariae dolorem, eam appono, quod impotentem se experiri ad solatum dilecto filio porrigendum in extremo vitae discrimine constituto, ac summis doloribus confecto maxime illam angebat. Solent enim pie matres pro magno solatio habere, si laborantibus filijs quidpiam levaminis, et refrigerii afferre possint; e contra vero si eis favere, et materna eis officia praestare prohibentur, ingenti dolore affici consueverunt. Videbat Maria spinarum ulcera, nec poterat alligare: cernebat faciem spumam, sanguine, et lacrymis perfusam, nec poterat abstergere: aspicebat totum corpus undique cruentatum, nec linteo poterat cooperire: audiebat illum sitio dicentem, et non poterat illum aqua refrigerare: intuebatur felle, et aceto polari, nec id avertere poterat, quae omnia necesse erant materna viscera acriter transverberare. Accedit quod divus Cyrillus (*lib. 12. in Ioann. cap. 33*) ait: *Milites cum risu, aequo triumpho, coram matre ad derisionem Christi vestimenta partuntur, tunicam scilicet illam inconsutilem, quam dilecto filio pia mater propriis manibus elaboraverat. Ac tandem cum contemplantur illum iam iam animam efflantem, et charos amplexus, ac dulcia oscula ei dare non valebat, non poterat eius dolor non acerbissimus esse. Haec eadem meditabatur divus Anselmus, dum de compassione Virginis loquens dicebat: *Quis existimare potest, quanta tristitia, moerore, et dolore vulnerabatur cor Mariae super unici, et naturalis filii passione, quem tam caste concepit, tam gaudioso peperit, tam dulciter auget? Vidit eum ligatum, et sobere non potuit: vidit corpus vulneratum, et vulnus ligare non valuit: vidit sanguinem in faciem fluere, et abstergere nequivit: caput inclinatum, et sustentare non potuit: mentem, et pro tristitia consolari nequivit: audiebat eum dicere, sitio, et ei aquam ministrare non valuit; haec ille.**

Quarta causa eundem Mariae dolorem adaugens fuit, quod divino afflata Spiritu manifeste praecognosceret, quod cum aliquoq. copiosissima esset Christi redemptio, paucissimos tamen fore, qui fructu eius gauderent. Non enim ignorabat, quod Christus doceret quartam partem iacti seminis, tantum diligentissimi seminarii fructum optulisset; sed illud etiam Michaeae prophetae vaticinium legerat in persona Christi loquentis: *Vae mihi quia factus sum sicut qui colligit racemos in autumnum.* Sicut enim finita vindemia non reperitur in vinea nisi hic vel ille parvulus quispiam racemus, ita post factam vindemiam a diabolo, paucissimos Christus invenit racemos sibi col-

ligendos. Unus racemus fuit bonus Iatro, ex Cruce Christi misericordiam implorans (*Matth. 27*): *Memento mei Domine, cum fueris in regno tuo;* alius racemus fuit pius Centurio, illum clara voce confitens (*ibid.*): *Vere filius Dei erat iste;* alius racemus Ioseph ab Arimathea, de quo ait Matthaeus, qui misericordia motus ut Christi corpus sepeliret, audacter introivit ad Pilatum, ut Christi corpus ab eo postularet. Hoc igitur contemplantur beata Virgo praesentis magna, quam habebat, ac ardentis desiderio ut sanguinis Christi fructum omnes perciperent, praecognoscentes paucissimos illum esse percepturos, vehementius cruciabatur.

Quintam causam matris dolorem non parum augmentem, filii verba fuisse arbitratur divus Bernardus (*serm. de verb. Apoc. signum magnum*), cum dixit illi: *Mulier ecce filius tuus;* non enim potuit non materna viscera graviter laerare, quod tam dispar filius Ioannes mirrituro Christo succederet: et quod servus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebebei pro filio Dei, homo purus pro Deo homine sibi committeretur. Unde perinde fuit, ac si diceret: *mulier ecce filius tuus; sed non qualis ego, quia non conceptus de Spiritu sancto, sicut ego: non miraculose natus ex Virgine, sicut ego: non verus Deus, sicut ego: non aeternus, et consubstantialis Patri, sicut ego: non naturalis filius tuus, sicut ego.* Ecce igitur filius tuus adoptivus, quem loco mei tibi substitui, quia ad Patrem vado. Sane haec mutatio dexterae excelsi est Deus Pater, cuius dextera dicitur eius filius, quia sibi consubstantialis: faciente ergo Christo, qui est dextera Dei Patris, hanc mutationem, merito haec mutatio dexterae excelsi nuncupari debet. Duplex igitur hoc verbum: *Ecce filius tuus, gladius fuit viscera Virginis adeo confodiens, ut non immerito ei congruere autem, quod Apostolus dixit (*ad Hebraeos cap. 4*) scribens: *Vivus est sermo Dei, et efficax; et penetrabilior omni gladio accipiti, et pertingens usque ad divisionem animae, et spiritus.* In quibus verbis, ut nostro inservant argumento, quatuor praecipue observo. Primum profertis conditionem, quia *vivus:* adhuc enim vivebat Christus vita humana, cum protulit illum sermonem. Secundum illius impletionem, quia *efficax:* nam ex tunc discipulus accepit eam in suam, et specialiter ratione filius eius adoptivus esse coepit. Tertium est praedicti sermonis ad penetrandum vim, et acumen, tum quia ait: *penetrabilior omni gladio accipiti:* gladius enim materialis non penetrat nisi corpus, iuxta illud (*Matth. 10*): *Notite timere eos, qui occidunt corpus, et post hoc non habent amplius quid faciant;* sermo autem ille penetravit intime usque ad cor Virginis: tum quia subiungit: *pertingens usque ad divisionem animae;* hoc est, intus adeo animam dolorem concepit, ut nisi divinitus beata Virgo praeservata fuisset, et adiuta, ut ait divus Bernardus (*in sermone de Annun.*), facile tunc emisset spiritum. Hinc fratres elicere vos velim, quam arcto obligationis vinculo beata Virgo hos adstrinxerit, cum tam acerbis dolore iuxta crucem, spiritaliter, tanquam pia mater, nos omnes parturiret: fuit enim velut*

altera Rachel duplicem habens filium, Benjamin, et Benoni: Benjamin, qui *filius dexterarum* interpretatur, Christum Dominum denotat, quem summo gaudio peritus in Bethleem peperit: Benoni, quod *filium doloris* mei significat, Ioannem, et in eo nos omnes admittat, quos iuxta crucem summis pressuris, ac doloribus melius quam divus Paulus, qui dicebat (*ad Gal. 4*): *Filioli mei, quos iterum parturio,* ipsa nos et genuit, et parturit. Et quidem si Christus Dominus Apostolos suos mulieri parturienti comparavit propter gravitatem moeroris, quam passio ipsius eis illatura erat, *mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius;* quanto magis Virginem matrem iuxta crucem, nos tam acerbis doloribus gignentem, parturienti matri comparare licebit? unde Rupertus (*lib. 13. in Ewang.*): dixit: *Proinde quia vere ibi dolores ut parturientis in passione unigeniti omnium nostrum salubem, beata Virgo peperit, depare omnium nostrum mater est.* Cum igitur deipara Maria iuxta crucem nos parturiendo mater nostra effecta sit, illud Tobiae (c. 4) nobis singularis dictum accipiamus: *Honorem habebis matri tuae omnibus diebus vitae tuae: memor enim esse debes quae, et quanta pericula passa sit propter te.*

Ad extremum aliud Virginei doloris augmentum accessit, cum militem in mortuum dilecti filii corpus deservire conspexit, qui duri lanceae mucrone sacrum eius latus aperuit, unde magna sanguinis, et aquae copia effluxit. De hoc sacro vulnere, quia permulta dixi tumo primo de sacris Arcaenis ad Christum Dominum spectantibus, pauca hic apponam. Illud tamen silentio non praeteribo, repertum fuisse olim, ut auctor est Platina in vita Leonis Noni, celeberrimae staturae, cum hac inscriptione: *Oriente sole, aurore caput habeo,* vel ut aliis placet: *Occidente sole in Ariete caput auri.* Mulli quidem varias illius epigrapharum explicationes adhibere, quae a veritatis scopo longe aberrant: quidam tamen magicae observationis peritus observavit, quod occidente sole in Ariete, caput illius statuae quandam in terra causabat umbram, et notato termino umbrae ibi fodiens, thesaurum invenit, ubi ingens caput auri latebat, quomodo manifeste innouit, quid sibi vellet inscriptio illa. Haec cum ita sint, neminem ignorare arbitror Christum mortuum in cruce, cum sol erat in Ariete; tunc autem cum inclinato capite tradidit spiritum, sacrum illud caput necesse erit umbram facere in latere Christi, quasi designans locum ubi thesaurus Ecclesiae delitescat: ad quod significandum, ubi sponsa iuxta vulgatum nostram legit: *Introduci me rez in cellaria sua,* septuaginta Interpretes verterunt, *introduci me rez in aeraum, sive in thesaurum.* Locum autem huius aerarii, mille quodam lanceae ligone fodiente, continuo inventus est thesaurus infiniti valoris, pretium scilicet sanguinis, et aquae, quo Christus nos omnes emit, iuxta illud Pauli (1. Cor. 6): *Empti enim estis pretio magno.* Hunc autem militem Longinum fuisse testantur Lippomanus (*tom. 6*), Sarius (*tom. 20*) vigesimo quinto die Mensis Octobris, Metaphrastes (*ser. de pass.*), et cardinalis Baronius (*tom. 1*). Af-

firmat autem sanctus Cyprianus martyr (in *epistola ad Oceanum*), sanguinem separatim efflaxisse ab aqua, prius tamen illum, quam istam; unde qui in aquis coeperat, finivit in aquis; et quam illi silenti denegerant, haec ex fonte lateris sui scaturientem, liberaliter eis donat. Fuisse autem illum proprie, et vere aquam, praeter Abulensem (*Paradoz. 2. cap. 2. et 29. et 30.*), et alios auctores id docentes, expresse habetur in canone quodam de celebratione missarum. Licet autem separata anima a corpore, quando corpus frigescente incipit per solutionem flegmatis, aqua in eo generari solet naturaliter; ex humano tamen corpore mortuo sicut effluere miraculosum fuit, ut tradit divus Thomas (3. part. *quast. 66. artic. 4.*), ac tota naturae facultatem transcendens. Ex sacro vero sanguinis, et aquae liquore de fonte lateris Christi manante, beatam Virginem, quantum licuit, religioso cultu, ac magna reverentia collegisse, testatur cardinalis Baronius anno Christi vigesimoquarto, folio 181. Metaphrastes vigesimoquinto die Augusti. De lancea igitur, haec ait Seraphicus divus Bonaventura capite octagesimo vitae Christi, fuisse gladium accipientem, qui iuxta Simeonis vaticinium petranensis corpus filii mortuum, pertransivit animam matris, in eo per amorem viventem; unde piissimus Lanspergius tradit matrem eum in se dolore passam, quem Christus in lateris vulnere pateretur, si tunc vixisset: *Dirisit, inquit, Christus cum matre sua huius vulneris iniuriam, ut ipse quidem persecutionem, et vulnus exciperet, sed tamen dolorem non sentiret; mater vero huius vulneris in se poenam reciperet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA IV.

Facta comparatione Mariani doloris cum reliquorum omnium tam virorum, quam foeminarum doloribus, quorum tam sacra, quam profana meminere eloquia; Virginis moerorem, reliquis omnibus acerbiorum fuisse in passione, et morte filii sui aperte commonstramus, in illa verba Hieronymae: Cui comparabo te, et consolabor te virgo filia Sion? magna est velut mare contritio tua; quis medebitur tibi?

Acerba mors dilecti filii beatæ Virginis, ut pote Dei Creatoris, et Redemptoris nostri, tam magnam vim ad inferendum doloris, et compassionis affectum habuisse perhibetur, et evangelico eloquio id attestante, durissimae poenae quo poterat modo, Creatori suo ingentes dolores patienti computarentur (*Math. 27: Petrae scissae sunt. Olim dixerat Dominus [Ezech. 12]: Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum*; hodierna tamen die utilius

michi fore videtur cor potius lapideum, quam carneum a Deo postulare: nam si lapides sciundantur, vel conterantur, molliores quidem sunt carnes cordibus, quae adamantina duritie praedita, nec vestigium ullum compassionis portendant. Faxit ergo Deus, ut quae mihi dicenda sunt de acerbissimo Deparæ Mariae compassionis dolore, velut olim virga lapidum percussus largissimas aquas ab eo eduxit, ita a saxeis vestris cordibus copiosum lacrymarum imbrem extorqueant; ne qui filii eius redempti sanguine sumus, tam benemeritæ de nobis matri ingratos nos exhibeamus: maxime quia si illa, ut ait Bernardus (*serm. 10. de Epiph.*): *Deficiente vino in nuptiis compassa est verecundiae eorum sicut misericors, sicut benignissima; multo magis deficiente ei non vino, sed filio proprio, et universo thesauro suo, et compati, et pro modulo nostro consolari debemus.* Ipsa ait per Hierem. (*Thren. 1*): *Posuit desolatam, tota die maerore confectam; in medio autem tantae desolationis illud omnium minimum solatium a nobis expostulat b. Virgo, ut exploremus fuerit ne unquam dolor similis dolori eius? Attendite ergo, et videte si est dolor similis sicut dolor meus: haec enim similitudo solet non nihil solati laborantibus afferre, ut quidam poetarum dixit,*

*Solatium est miseris, socios habere poenarum; atque propter haec rationem Hieremias postquam dixit: Cui comparabo te, subiunxit, et consolator: quia si facta comparatione eum alicui patientibus, similem aliquem prepresset, aequalem dolorem sustinentem, videbatur sibi aliquam consolationem ei allaturum, et consolabor te. Heu, heu, heu, et milites heu, desolatae matri neque hoc tam exigui solatii genus adhibere possumus, cum facta illa comparatione doloris eius cum reliquis, quos tam sacra, quam profana monumenta commemorant, nullum sane similem reperimus; unde Nicolaus de Lira (in *comment. huius loc.*) ait: *Non invenio aliquam ita afflictam, quam tibi possim in exemplum proponere pro aliqua tua consolatione, et glossa ordinaria (sup. eund. loc.) inquit: Non invenitur tibi digna comparatio: tota es informis, tota horribilis, totam te possidet contritio: ad non esse tendis; ut tamen id clarior innotescat in percurrendis tam foemina, quam viris, qui gravi aliqua pressura fuerunt confecti, tota haec nostra versatur oratio.**

Herodotus (*lib. 3*) rem valde mirabilem commemorat de Sanite Aegyptiorum rege. Ait enim quod cum Cambises Persarum rex in bello contra eum inito, illum superasset, et in proprium suum regnum captivum duxisset, cupidus ille magis ac magis eum affligendi, et opprimendi, praecipit ut illius filia, vilibus ancillae vestimentis induta coram rege Sanite parente suo cum reliquis famularum urnas portantes ad haerendum aquam properaret. Quo spectaculo Aegyptii valde commoti, copiosissimas lacrymas effuderunt. Pater vero illius nullum doloris indicium prodidit; id tamen observans Cambises rex Persarum alio immaniori spectaculo excoxit animi illius excruciatore: iussit ut princeps Sanitis regis primogeni-

tus sordida, ablecta et squallenti veste amictus, reliquis mancipiis associatus, ferreum anulum in collo gestans, et ore, camo, et fraeno compresso, coram patre suo per viam publicam transiret: id quod Aegyptii aspicientes a singulibus, et eulalibus non poterant se temperare; pater tamen illum intuens nullum sicut antea interni moeroris argumentum foras exhibuit. Accidit autem paulo post, quod transiente illac charissimo quodam eius amico, qui pariter cum illo in bello fuerat captus, et ex summa divitiarum copia in summam egestatem venerat, lacrymas continere non potuit. Quam rem valde admirans Cambises interrogavit illum, quid causae esset quod filiorum miseriam non plorans, amici infortunium tam amarum planctu prosequeretur? respondit ille, effusione lacrymarum internum dolorem valde mini, et quoddam levaminis, et solatii genus esse; internum autem dolorem, quo in tanta miseria filios constitutos conspexerat, ingentem, atque acerbam adeo fuisse, ut lacrymarum effusio nulla ratione illum temperare, aut levaminis, et solatii quidpiam ei afferre posset, sicut in morte amici attulit. Ceterum dolor hic minime cum dolore Virginis venit comparandus, quia si ibi rex Aegyptiorum vidit filios vilibus mancipiorum vestibus indutos; hic Regina coeli, et terrae vidit unicum filium suum instar fatui, alba veste, et tanquam ridiculum regem purpura indutum. Ille vidit filias inter ancillas, et mancipia; Maria vero vidit Christum inter sceleratissimos latrones, et cum iniquis deputatus est. Ille vidit filios captivos, sed non morientes; Maria vero vidit filium, et a satellitibus captum, et in cruce morientem. Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.

Darius, ut historiographi narrant, id referente erudito auctore Malonio de Christi stigmatibus (c. 9), cum Zopirum charum, ac familiarum suum amicum foedissime laceratum sui amore conspexit, adeo doluit, ut diceret se Zopirum foeditate illa carentem magis optare quam mille Babylonias; quem igitur cruciatum, quem moerorem, quas lacrymas putas in b. Virginis pectore Christi flagella causare? Quis eius lacrymas valeat explicare? Quae certe solatium illud in Christi morte habere non potuit, quod in morte Aber David habuit, dicens (2. Reg. 3): *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Amon: manus eius ligatae non sunt, nec pedes eius compedibus aggravati; at b. Virgo non solum Christi manus, et pedes ligatos vidit, sed totum etiam corpus adeo flagellis cruentatum, et exulceratum, ut non amplius esset in eo species, neque decor.*

Illud valde memorabile est in hoc genere argumenti, quod de Constantio Imperatore scriptum reliquit Sigonius anno 420. Is enim imperator acclamatus, imaginem suam ad Theodosium transmittit: haec ille non accipit; ideo tanto moerore conficitur Constantius, ut sexto post susceptum imperium mense dolore confectus obierit. Morem hunc nostra etiam tempestale vigere, ut Romanorum imperator electus cum fuerit, Romam ad summum Pontificem imaginem suam transmittat, ut ab eo con-

firmetur, tum etiam ad alios principes. Ex Sigonio de bello Italiae ostendit Isidorus Mosconius vir singulari eruditione, et pietate praeditus. Verum neque huius imperatoris dolor etiam si acerrimus videatur, siquidem ei necem intulit, imperatricis Mariae dolorem exaequat, tum quia causa doloris illius maiorem vim habebat ad incutiendum moerorem: illic enim causa fuit ablata imperatoris imago mortua, seu inanimis; hic vero de medio tollitur figura substantiae Patris, et viva imago substantiae matris, cum Christus facte persimilis esset generitici suae: tum quia dolor illius imperatoris semel illum percussit, et vitam abstulit; dolor tamen Virginis prolixior fuit, et acerbior adeo, ut ait d. Anselmus (*de lament. Mariae*), ut per singula momenta vitam eius extinguere sufficiens fasset, nisi ex speciali miraculo divinitus conservaretur. Quod nihil ad levamen ei profuit, sed ad cruciatum potius augmenta, cum non semel ut imperator ille, sed millies prae acerbitate doloris mortis angustias sustineret. Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.

Est veniamus ad sacrorum voluminum historias. Nemo ignorat vehementem fuisse dolorem, quem Abraham concepit, iussus a Deo, dilectissimum filium suum propriis manibus occidere, et illum ibi immolare (*Gen. 22*): *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Longe tamen ille inferior fuit Mariano dolori, tum quia licet Abraham cum filio in montem ascenderet, ut illum gladio confoderet, id tamen executioni mandare prohibitum est ab angelo, secumque tollit filium suum vivum; Maria vero in montem Calvariae ascendens cum filio, non rediit cum eo vivo, cum in ara crucis immolatus, et sepulchri tumulo sepultus maneret. Eadem sacra Genesios historia narrat, quam ingens dolor Iacobi animum occupaverit, quando nunciatum est ei filium suum Ioseph ab immani bestia fuisse trucidatum, et eius eriore tunicam eius esse infectam; quam cum agnovisset pater, continuo dixit (*Genes. 37*): *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph. Scississae vestibus indutus est ciliicio, lugens filium suum multo tempore.* Sed nec hic dolor confertur potest cum Virginis dolore, tum quia ibi Iacob solam filii vestem vidit cruentatam; Maria vero propriis oculis conspexit corpus filii sui, undique exulceratum, et singulas eius partes sanguinis cruorem emanantes: tum quia ibi supererant Iacobo undecim alii filii; Mariae vero nullus, quia ille sibi unigenitus erat: tum denique quia Iacob postea agnovit figmentum fuisse mortem filii sui Ioseph; Maria autem certissime sciebat filium suum vere, et proprie mortuum fuisse. Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.

Deinde libro primo regum legitimus, Heli auditio quod arca Dei esset capta ab hostibus, praebat dolore magno, continuo ex sede, qua sedebat, corruisse in terram, et casum mortem ei intulisse, cumque ille, scilicet nunciis, nominasset arcam Dei, cecidit et sella retrorsum

iuxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Sed longe Mariae dolor hunc moerorem superavit: nam si pietas Heli erga arcam Dei, quae solum umbra, et figura erat humanitatis Christi, adeo illum contristavit, nullus sanae mentis mihi inficiabitur pietatem Virginis, quae longe maior erat erga ipsam Christum humanitatem, dum illum vidit non solum ab hostibus captam, sed spinis, et ferris cuspidibus multipliciter perforatam. acerbiorum multo in illam, quam in Heli excitasse dolorem; in eoque textus adnotat, prae nimia senectutis imbecillitate retrorsum cecidit; beata autem Virgo tametsi summo dolore confecta, pedibus suis consistens prae ingenti animi fortitudine cruci adhaerebat. (Ioan. 25.) *Stabat iuxta crucem Iesu Maria mater eius. Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Secundo etiam libro Regum legimus, quod audiens David tribus lanceis Absalonem filium suum occubuisse, dum penderet in quercu, tanto moerore confectus fuit, ut sacer textus dicat (2. Reg. 19): *Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna, mi Absalon. Insuper etiam ibidem legimus, ait, quod quamvis tunc David victoriam tulisset, evulgato tamen eius planctu, versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolet rex super filio suo.* Sed neque hic Davidis dolor similis est dolori, quem in morte filii sui beata Virgo sustinuit; quia David solum audivit necem filii sui, non vidit tribus lanceis confectum; Maria autem non solum audivit, sed et vidit Iesum tribus clavibus transfixum, et lancea pectus eius graviter exulceratum; obiectum autem doloris praesens vehementius urget, et angit quam absens. Et quidem cum Absalon filius inobediens, et rebellis esset patri, cum bellum adversum illum gereret, non potuit de eius morte tantum contristari, quantum si ille se obedientem, et pacificum exhibuisset; beata autem Virgo dolebat super mortem filii sui adeo obediens, ut Deus cum vere esset, tanquam subditus illi obtemperare non respuerit, ut divus Lucas expresse testatur. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Hucusque varios virorum dolores retulimus et exploravimus, an Virginis dolorem aequarent, ab eo tamen potius longe praecellit, a pertissime comprobavimus. Reliquum iam est ut varios angores, quibus multae foeminae, quae ad compatiendum viris teneriores, et procliviores esse solent, sermonem convertamus, si forte dolorem aliquem inveniamus similem Mariano dolori. Cum quaedam foemina per fraudem a Salomone sententiam extorque-re voluisset, ut iudicaret filium alterius foeminae esse suum, illa quae vera mater erat illius materno amore commota vehementer doluit, quod Salomon gladio infantem dividi iuberet, ut media pars uni, et media alteri daretur (3. Reg. 3): *Dividite infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri.* Verum et hunc dolorem

Virginis dolori non aequari ex eo aperte convincitur, quod revera ibi non fuit executionis mandata infantis divisio, Salomone annuente precibus verae matris dicentis: *Date illi infantem vivum, et nolite interficere eum.* Tunc vero beata Virgo vehementem dolorem sustinuit, cum moriente Christo facta fuit divisio corporis illius ab anima: ibi mater illius infantem audivit Salomonis verba, date huic infantem vivum, Mariae vero non datur filius nisi mortuus in gremio suscipiendus. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Legimus (L. 4. Reg.) acerbiorum alium dolorem, quem Sunamitides pertulit, cum gravi morbo laborantem filium ex aestuatis caloris fervore super genua sibi positum morientem conspexit: *Tolle, et duc eum ad matrem: qui cum tulisset, et duxisset eum ad matrem suam, posuit illum super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est.* Ceterum quomodo non videat longe minus maternum animum excruciaci ex morte naturali filii, quam ex violenta? cum ergo filius Sunamitidis interiit morte naturali ob intemperiam ex nimio solis ardore ortam, filius autem Mariae obiit violenta, et turpissima morte inter duos latrones clavibus confossus ex ligno pendens, non potuit Mariae dolor amarior, et acerbior non esse Sunamitidis moerore. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Apud Tobiae librum legimus (c. 10), uxorem eius Amnaam adeo contristatam fuisse ob moerorem filii sui in redendo ad propriam domum, ut sacer textus dicat: *Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu, heu fili mi, ut quid te misimus peregrinari? lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae, solatium vitae nostrae, spes posteritatis nostrae, omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.* Quam autem dolor hic Annae dispar sit dolori Mariae, vel illud satis comprobatur, quod illa plorabat filium absentem vivum, Maria vero mortuum; dolor autem absentiae comparari non potest cum dolore mortis. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Libro Ruth sacra commemorat historia tanta doloris amaritudine Noemi animum repletum ob mortem mariti sui Elimelech, ut cum andree se vocari Noemi, responderit: *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amararam, quia amaritudinem valde me replevit omnipotens.* Sed quid quaeso cum dolore Mariae dolor iste, cum Noemi solum de morte mariti doleat; mortuo autem Christo, qui Mariae erat simul Pater, et Filius, pastor, amicus, sponsus, pariter doluit de morte Patris, Filii, pastoris, amici, et sponsi; manifestum autem est multiplicatis, et oculis doloris causis dolorem augeri. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

De regina Esther sacra volumina testantur ob imminentem mortem, quam impius Aman machinabatur adversus populum hebraeum, tanto moerore fuisse confectam, ut sacer textus dicat (Esther 14): *Cumque deposuisset vestes regiae, pedibus, et luctui opta indumenta suscepit,*

et pro unguentis variis cinere, et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit ieiuniis, omnique loca, in quibus antea laetari consueverat, crinium laceratione complevit. At continuo tristitia haec versa fuit in laetitiam, et luctus ille in gaudium, quia ad preces eius rex mutavit sententiam mortis, et machinator Aman occisus est. Post latam autem sententiam mortis a Pilato adversus Christum Dominum, nulla facta fuit mutatio: non sunt preces reginae Mariae exauditae, quibus precabatur ne lantum facinus committeretur. Quare non potuit Mariae dolor reginae Esther dolorem non valde superasse. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Susanna dolorem, quem illa sustinuit, cum de adultcrii crimine a lascivis quibusdam senibus populi iudicibus sollicitaretur, Daniel propheta refert. Cum enim ipsi, ut ab ea consensum eius ad libidinum suam expiendam extorquerent, ei dixissent: *Assentire nobis, et commiscere nobiscum: quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, et ob hanc causam emiseris puellas a te.* Tunc illa ingenti dolore oppressa in haec verba ingemens prorupit: *Angustia sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non fugiam manus vestras.* Acerbae sane fuerunt angustiae istae, sed acerbiores multo angustiae Mariae, quia quod Susanna opprimebat, timor erat amissionis honoris, vel vitae, in quam senibus illis non consentiens oportebat incidere; beatam autem Virginem angebat dolor ob amissum honorem, et perditam vitam charissimi filii sui, quem ipsa ardentissimum multo amabat, quam Susanna proprium honorem, et propriam vitam. Unde consequenter necesse fuit moerorem eius Susanna moerore incomparabiliter graviorem fuisse, sic incomparabiliter maior erat amor, quo b. Virgo Christi honorem, et vitam propriam prosequatur, quam amor, quo Susanna honorem et propriam vitam diligebat. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Ad haec propheta Ezechiel meminit doloris et placentis, quo personae, et idololatrae quaedam foeminae Adonis mortem deplorabant in templo (Ezech. 8): *Ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* De hoc Adonide hoc refert Nicolaus de Lyra: *Adonis dicebatur amasius Veneris, cuius mortem mulieres plangebant, ita quod ritus illius Idoli erat in plantis, et fletu mulierum.* In Hebraeo habetur: *Plangentes Thammuz, quod significat incensionem, eo quod sicut dixit Rab: Sal idolum illud erat concavum, et fiebat ignis intra, cuius calor sursum ascendens facebat liqueferi oculos ipsius idoli, qui erant plumbei, et sic videbatur plorare, propter quod mulieres in eius cultu flebant.* Rabbi Moyses Aegyptius (in suo lib. de direct. perplex. part. 3.) scripsit, quod invenerat in quodam libro antiquo de cultibus Idolorum, quod olim quia quidem de prophetis idolorum nomine Thammuz enixe deprecabatur quendam regem, ut coheret plangentem, et signa caelestia, rex ipse praecipit Thammuz crudeliter interficere; unde omnia idola, CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. II.

eius mortem plorantur tota nocte. Ex quo inolevit usus, ut in prima die mensis Thammuz, qui est quartus mensis secundum Hebraeos, lugerent mulieres idolorum cultrices super Thammuz singulis annis. Amariorem tamen multo fuissem planctum Virginis ob mortem Christi Domini, haec duo apertissime indicant: tum quod nec Adonis, nec Thammuz ex visceribus illarum foeminarum prodierat; Iesus autem ex proximis sanguinibus genitus, vero filius eius erat, et filius dilectissimus; quanto autem mari charior est filius, tanto et mors eius est illi amarior: tum quia si luctus idolorum, qui falsi, et ementuli Dei erat, foeminas illas ad lacrymas, religionis causa, ut falso putabant, commovebat, certe hic aderat Christus Dominus, verus Deus in cruce lugens, ut d. Paulus (ad Hebr. 5) testatur: *Cum clamore vadido, et lacrymis exaudivisset eum;* cuius sane luctus maiorem quam ille vim habebat ad excitandum dolorem Virginis, et animum eius commovendum, ut copiosam lacrymarum imbrem effundendum, ut pole luctus, ac plantus filii sui, et Dei sui. *Attendite ergo, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Ad extremum Esdras propheta dolorem alium cuiusdam matris ob mortem filii sui enarrat, qui vehementer illam cruciavit: *Respici, inquit (c. 4), oculis meis, et vidi mulierem in dextera parte, et ecce haec lugebat, et plorabat cum voce magna, et animo dolebat valde, et vestimenta eius discissa, et cinis super caput eius: et dimisi cogitans, in quibus eram cogitans, et conersus ad eam, et dixi ei: ut quid flet? et quid doles animo? Et dixit ei ad me: Cum introisset filius meus in thalamo suo, cecidit, et mortuus est. At si paulo post legas, reperies, merito hanc mulierem acriter increpatam fuisse, quod neglecto malo communi reipublicae, propter quod omnes lugebant, et ululabant, ipsa de proprio malo, hoc est, de morte filii sui solum contristaretur. Stulta, ait sacer Textus, super omnes mulieres, non vides luctum nostrum, et quas nobis contingunt? quoniam Sion mater nostra omni tristitia contristata, et humiliata est, et lugeat validissime. Tu autem contristaris in uno filio? Ceterum moriente Christo, dolens, et lugens beata Virgo eius necem, non solum propriam, sed communem omnium iacturam lugebat, cum et filius eius esset et communis omnium pater, et dominus: et ideo, cum dolendi causa maior, et vehementior esset, absque dubio in virgineo Mariae pectore vehementior rem peperit dolorem.*

Ecce hucusque pro viribus quaesivimus tam sacra, quam profana monumenta evolventes, si forte quempiam dolorem similem dolori Virginis reperimus, ut saltem hoc exiguo levamine ex similitudine doloris orto illam solarem; cum tamen non invenimus, merito beata Virgo ingemiscens ait (Thren. 1): *Consolantem me quaesivi, et non inveni; et illud: Posuit me desolatam, tota die moerore confectam.* Ut autem acerbiter huius desolationis melius percipiamus, et ad compatiendum Virgini fortius commoveamur, parum per comparationem, et similitudinem Hieremiae a nobis propositam speculemur: *Magna est, inquit, velut*

mare contritio tua. Thargum Chaldaeorum vertit: *Magna est velut mare contritio tua;* ac si diceret: tantum excedit dolor tuus aliorum dolores, quantum gigas excedit pigmeos; dolor tuus gigas est, reliqui pigmei. D. Hieronymus (*de quaest. Hebr.*) transfert: *Magna velut aqua valida contritio tua;* ac si dicat: reliqui alii dolores sunt aqua tepida, dolor tuus est instar aquae ferventis et bullientis, quae ubique carnem contingit, ampullas educit, et ulcera facit, et gravius quam prunae ipse urit ob subtilitatem materiae, quae facilius solum penetrat. Sed vim facientes in translatione nostra latina et vulgata, quae valde conformis est hebraicae lectioni, ubi *Jamini*, proprie significat mare, expendamus, si placet proposita verba: *Magna est velut mare contritio tua.* Perinde fuit, ac si diceret: aliorum dolores fluvii sunt, aut fontes; dolor autem tuus magnus velut mare, excedens non solum quantitate, sed et qualitate reliquos omnes: nam sicut aquae fontium, et fluviorum dulces sunt, maris vero amarae; ita aliorum dolores in comparatione acerbitatis, et amaritudinis Mariani doloris dulces iudicandi sunt. Vel aliter: *Magna est velut mare contritio tua:* sicut omnes guttae maris sunt amarae, nihilque aquae reperitur in eo, quod salsum et amarum non sit; sic dolor tuus prae magnitudine acerbitatis nulla dulcedinis consolatione mixtus est. Ita enim beata Virgo dolore immersa erat, ut ab omni laeta cogitatione se prorsus abstineret, unde sicut in maris tempestate fluctum vicissitudo non cessat magno impetu concutere litus, et evanescentibus his, alii magis tumescunt succedunt, quibus magis, ac magis augetur tempestas; non dissimiliter lugubres, ac moestissimae Virginis cogitationes, quibus cum animo volubet crenatum eius sudorem in hortu, terribilem illam agoniam cum dicebat: *Tristis est anima mea*, comprehensionem illius cum sustibus, et armis, irrisiones, et opprobria per Iudicum tribunalia, gravissimam flagellationem, et immanem spinarum coronationem, crucis haulationem, diram clavorum transfusionem, inter latrones turpissimam mortem. Istae inquam cogitationes velut tumentes fluctus Mariani pectoris litus mirabilis quadam vicissitudine, quasi certalim acriter concutiebant, et quibusdam illarum evanescentibus, aliae graviores, et maestiores succedebant, adeo ut iam Maria non mare serenum, quae regina serenissima dici solebat, sed mare turbulentum merito nuncupari posset. Ad quod saae alludens paraphrastes Chaldaeus salis apposite dixit: *Magna est contritio tua sicut multitudo contractionis tuae.* Quid plura? *Magna est velut mare contritio tua.* Observatum est a navis, quod in plenilunio mare maiori aquarum copia scelat. Mare amarum coepit esse beata Virgo ab instanti, quo divinitus fuit illustrata, ad cognoscendum, et penetrandum dolorum diluvium, quo demersus erat eius filius, ut in eius persona dixit David (*Psal. 68*): *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Adveniente tamen plenilunio mortis Christi, cuius memoriam charissima eius sponsa Ecclesia catholica Romana in plenilunio, vel circa refricat, Marianum mare maiori do-

lorum copia abundabat. Vel aliter dicamus: *Magna est velut mare contritio tua.* Sicut enim mare est congregatio omnium aquarum, ita dolor Mariae erat velut congregatio omnium dolorum: nam quidam contristantur de divitiarum iactura, alii de morte parentum, vel filiorum, alii de absentia amicorum, alii de nece principum, alii propter honorem amissum, alii tandem propter alias similes causas; beata autem Virgo propter omnes illas simul debebat, quia amittendo Christum, amittebat principem, sponsum, parentem, filium, amicum, divitias, et honorem, et omnia bona pariter cum illo. Dicite mihi quaeso: si Deus unico vase, quod omnipotentiam eius non transcendit, integrum mare concluderet, et illud alicui propinaret, et ille totum exhauriret, nonne secus ergo fratres re ipsa contigit Deiparae Mariae, nam ubi nostra vulgata legit: *Magna est velut mare contritio tua*, septuaginta Interpretes verterunt, quod summa asservatione dignum arbitror: *Magnificatum est poculum contritionis tuae.* Ecce quod Latinus Interpres vocat, mare, Graecus appellat *poculum*, ut significaret beatam Virginem magnum, spatiosum, et amarissimum passionis Christi mare uno poculo, et uno calice ebibisse: *Magnificatum est poculum contritionis tuae.* Verum ut vobis clarius innotescat summa huius poculi amaritudo, audite quaeso quae beata Birgitta in suis revelationibus, ipsius Virginis verbis contestata nobis reliquit (*lib. 1. cap. 6*), in hunc modum loquens: *Propterea cum nasceretur ex me, sensi ego, quod quasi dimidium cor meum nasceretur, et exiret ex me; et cum ipse pateretur, sensi quod quasi cor meum patiebatur. Licet enim illud, quod dimidium extra, et dimidium intra, et si illud pungitur, quod est extra, aequae sentit dolorem, quod est intus; sic ego cum flagellaretur, et pungeretur filius meus, quasi cor meum flagellabatur, et pungebatur. Ego ei fui propinquior in passione, nec separabar ab eo, et stabant vicinior cruci eius; et sicut hoc gravius pungit, quod vicinius est cordi, sic dolor eius gravior prae ceteris erat mihi. Cumque respectisset ad me de cruce, et ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrymae exierunt; et cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amarificabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnere suorum, quasi sopitus erat prae dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico quod dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Ideo filia mea cogita qualis eram in mortem filii mei, et non erit tibi grave relinquere mundum. Porro ut ad maria metaphoram redeam, illud in b. Virgine singulari commendatione dignum est, quod quemadmodum licet omnia flumina intrent in mare, mare non redundat, ut ait Ecclesiasticus; ita quantumcumque ingrederentur dolorum flumina in Mariam, nec per minimum impatentiae motum redundabat, nec contra acerrimos Christi carnifices quomodo insolubat. Celebris quidem fuit Iobi patientia, molestis tamen verbis molestos amicos allocutus est dicens: *Molesti consolatores estis vos.* Rara etiam fuit Davidis patientia, et mansuetudo (*Ps. 131*): *Memento Domine Da-**

vid, et omnis mansuetudinis eius; nihilominus tamen adversus Nabalem Carmelum gladio se acinxit ad illum occidendam. Moyses tandem patientiam, et mansuetudinem sacra eloquia commendat (*Num. 12*): *Erat vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra;* de illo tamen legitur Aegyptium contendente cum Hebraeo, propria manu interemisisse. Patientia vero beatissimae Virginis longe patientiam horum omnium superavit, quae summo dolore intencus dilectissimum, et innocentissimum filium suum immanissime tractari, clavibus crucifigi, diroque lanceae mucrone confodi, non ira efferebat, non impatentia nutabat, non verbum aliquod adversus infestissimos filii sui hostes promebat; licet enim esset amarum mare, sed mare erat non redundans. In eo tamen mari dissimilis fuit, quia mare expellit a se corpora mortua ad litus; unde quando Aegyptii submersi fuerunt in mari rubro, continuo illos a se expulit (*Exod. 14*): *Viderunt Aegyptios mortuos circa litus maris.* Beata autem Virgo emortuum corpus Christi non a se abiecit, sed gremio suo materno affectu suscipiens, summo lamen dolore confecta, milles illud amplectebatur, et osculabatur. Cum igitur tanta sit huius maris amaritudo, ac tanta Virginei pectoris contritio: *Quis medebatur tui?* inquit Hieremias (*c. 2*), vel ut vertit Chaldaeus Interpres: *et quis est medicus, qui sanat te?* Ille solus potest, teste Isaia, qui venit, ut *mederetur contritis corde.* At cum ille, qui mederi, et consolari te poterat, ipse te premit, et conterat, reliquum est, ut doloris tui vulnera omni medela destituta maneant; sed Deo propitiante non manebunt, quia licet ille mortuus te affligat, vivus post triduum te consolabitur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

De acerbitate eiusdem Mariani doloris in illa verba: Non est, qui consoletur eam ex omnibus charis eius, *Threnorum primo.*

Praesentem diem, in quo et Iesus, a cuius regimine, et providentia universa pendet machina mundi, a ligno crucis pendet, et in quo Maria eius mater horrendi huius spectaculi dolore transfugitur, potius effundendis lacrymis, quam verbis destinandam censeo: oculi enim paucas effundendo lacrymas, eloquentius multo fatur, quam lingua verba multa proferendo. Unde per Hieremiam dicitur (*Thren. 2*): *Neque taceat pupilla oculi tui.* Cum autem nemo proprie taceat, nisi qui alloqui valet; reliquum est, oculos loqui, qui a tacendo abstinere suadentur. Ceterum quia linguae verba non semel lacrymarum loquelam ab oculis extorquet, verbis etiam Marianum moerorem prosequi nobis licet. Ingentem illum a-

deo fuisse opinor, ut non iam dolerem, sed dolorum inundans diluvium appellandum merito iudicaverim. Certe diluvium, quod tempore Noe universam terram occupavit, copiosissimum fuit, gravissimamque intulit orbi nocentia; sed in comparatione huius diluvii perexiguum iudicandum est: etenim in illo diluvio caelitus decedentes aquae solam terram, homines, et animalia inundaverunt; in hoc tamen a terra ipsa exortae sunt tribulationum aquae, ipsum Solem instititae, Iesum, et Iannam, Mariam inundantes; nec solum homines, et animalia, ut in illo, sed Deum ipsum fluctibus suis cooperaverunt. Peccatores in illo submersi, iusti servati; in hoc contra peccatores servantur, et iusti submerguntur. In illo ascenderunt aquae super montes, arcam tamen non suffocaverunt, nec ipsum Noe cum filiis suis, sed omnes illi salvi facti sunt; at in hoc passionis diluvio amarissimo, mysticam arcam Mariam, et divinum Noe, Iesum intelligo, tribulationum fluctus adeo iudice circumdederunt, ut ipse diceret (*Psal. 41*): *Intraverunt aquae usque ad animam meam: demersus sum in limo profundi, et non est substantia.* Meritoque beata Virgo usurpare potuisset illud Davidis (*Psal. 41*): *Omnia excoelata tua, et fluctus tui super me transierunt.* Ac tandem, si Noe consolatus est filios, et filias in arca, illos protegens ab aquis diluvii; Maria quidem diluvio sanguinis Christi velut cruciatur. Fuit tamen haec Virginis tribulatio ex eo capite acerbior, quia nullius solamine mitigari, aut leniri novimus: amict enim, qui eam consolari debeissent, proprio dolore, Marianum dolorem agebant. Etenim in primis quatuor iuxta crucem intaeor, Maria, mare rubrum sanguinis Christi peccata nostra submergens, necnon et tres Marias, velut tria maria doloris amaritudine plena: quae ibi aderant, ut testatur D. Iohannes dicens (*c. 19*): *Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, et Maria Cleophae, et Maria Magdalene.* Haec autem omnia maria in Marianum mare ingrediebantur. Unde si flumina, dum intant in mare, aquarum eius copiam valde auferunt; certe tria maria in Mariae mare simul confluentia, non poterant doloris eius amaritudinem non multum augere. Deinde illud ipsum, quod permullis videtur, Christum praestitisse matri suae ad solamen, cum Iohannem ei dedit in filium (*ibid.*): *Mulier ecce filius tuus, mihi sane videtur factum ad incrementum doloris eius, ut Mariae meritum iuxta crucem magis, ac magis exuberaret. Inlet alia, quae viduum foeminam valde torquere solet, illud praecipue est, si filius mortuo patre superstes, reliquatur orphanus, et omni auxilio destitutus: quoties enim illa ad ipsum convertitur, toties ingenti dolore gradum transfugitur. Certe b. Virgo doleretur vehementer, pendentem ex ligno filium aspiciens: doleretur et mater, quae filium: doleretur et filia, quae patrem: doleretur ut sponsa, quae sponsum suum amittebat. At huius multiplex dolori ille aus accessit, ut videtur Iohannem filium sui sponsi orphanum relinqui absque patre, cuius etiam praesentia non poterat non acerbam sponsi necem*

frequenter in memoriam revocare. Atque ad id significandum, consulto arbitror Christum Dominum vocasse tunc matrem suam, mulierem: *Mulier, ecce filius tuus*, quia, ut adnotant periti linguae hebraicae cum Pagnino in suo thesauro linguae sanctae dicitio hebraea *Isach*, quae significat, mulierem, etiam interpretatur, *uxor*. Unde et apud Hispanos, communi idiomate nomine mulieris nominant viri uxores suas. Ut ergo hunc novum dolorem experiret Virgo, filius sibi relinquatur orphanus absque patre, cum Dominus tamquam sponsus ei alloquens, dixit (*Ioan. 19*): *Mulier, ecce filius tuus*. Unde etiam *Isaias (c. 47)* tanquam viduam absque sponso, et matrem sine filio futuram Virginem vaticinans in illa verba prorupit (*Isai. 47*): *Venient tibi subito duo haec in die una, sterilitas, et viduitas: sterilitas, quia sine filio naturali; viduitas, quia sine legitimo sponso eris. Facta est quasi vidua domine gentium, idest, Maria, quae lingua Syriaca, domina, interpretatur. Ad haec opinor Christum Dominum consulto iuxta crucem notuisse matrem propriam nomine Mariae compellere, quia cum vellet ad uberius illius meritum omni solatio illam destitui, Mariae nomen retulit, cuius eam mirabilem virtutem non ignorabat, ut eius vox audita animum oppressum mirifice recrearet, ut beata Birgittae revelatum fuit, et tradit his verbis *Idiola* nomine re doctissimus (*lib. contemp. de B. Virg. tom. 3. biblioth.*): *Tantae virtutis, et excellentiae est nomen tuum, ut ad eius invocationem coelum rideat, terra laetetur, angelique congaudeant.**

Ceterum cum b. Virgo, nec ab amicis, immo nec a charissimo filio suo solatium aliquid mororem eius leniens accipiat, videamus quaeso, an Pater aeternus eam consoletur, qui *Pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis*. Arbitror sane aeternum Patrem ita matrem, sicut et filium dereliquisse, ipso dicente: *Ut quid dereliquisti me? Sed et puto etiam aeterni Patris cor tunc dolore confici persimili illi, cuius meminit Moyses, qui de Deo loquens ait (Gen. 6): Tactus dolore cordis intrinsecus, seu ut originale hebraeum habet: Contrastavit se Deus, est angustia affectus est ad cor suum. Delebo, inquit, hominem, quem feci a facie terrae. Licet enim in Deo nulla tristitia cadere possit, loquitur tamen Scriptura sancta more humano, ut significet adeo enormia fuisse tunc hominum peccata, ut si fieri posset, divinum cor contristerent, de factoque ad indignationem, et supplicium adeo illum provocarent, ut universum orbem diluvii aquae inundaret. Si ergo Deus videns abominanda illius temporis peccata, tactus est dolore cordis intrinsecus: et ut sacer Textus dixit, poenitent me fecisse eos; sane intuens enormissima illa scelera, quae in acerba morte filii sui fuerunt patrata, nullo magis credendus est, dolore tactus intrinsecus poenituisse, quod immaniter adeo tractari permisisset dilectum filium suum, non quidem quod in Deo poenitentiam fuisse credamus; sed eo pervenisse e-normalitate peccati auctorem vitae, ac Deum ipsum interficientium, ut si possibile fuisset,*

ipsa etiam aeterni Patris viscera ad dolorem, et poenitentiam commoverentur. Unde sicut olim consuevit principibus, agnita morte filiorum, propria vestimenta dirumpere, et a lila interni doloris externa indicia praebere; ita similiter, cum aliquoq aeternus Pater amictus lumine sit sicut vestimento, voluit tamen tempore mortis filii sui universam aem domum, hoc est, tolam mundi fabricam, obscuris tenebrarum vestimentis indui (*Matth. 27*): *Tenebrae factae sunt super universam terram; et ad maiora moeroris argumenta exhibenda scindi iussit per medium templi velum, ut ait Evangelista (ibid.): Velum templi scissum est; et collidentes inter sese petrae, fragore suo tristites eiulatus emiserunt. Cum ergo neque Creator ipse, neque creaturae universae, ad angustiam doloris oppressae, quidpiam solati Virgini praesent, merito id praevidens Hieremias ait (*Ther. 1*): *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.**

Porro illa sola cogitatio Marianam dolorem lenire potuisset, vel quod sanguis, quem Christus in passione effundebat, humani generis redemptionis pretium erat, ut Ambrosius, et Augustinus cecinerunt: *Tuis ergo fanulis subveni, quos pretioso tuo sanguine redemisti. Vel quod sacro illo cruore, velut lavaero, abluenda erant pene infinitae peccatorum sordes: *Lavit nos in sanguine Agni. Vel quod per crucem, et mortem summam gloriam et honorem adepturus erat (ad Hebr. 2): Vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria, et honore coronatum. Vel quod diem illum mortis in ligno crucis, prius vocasset sponsa diem voluplatis, et alacritatis Christi (Cant. 3): Egre dimini, et videte filiae Sion Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis sui. Ac tandem illud Virgini maximum solatium afferre potuisset, Ecclesiam in pene infinitis membris suis mortuam per mortem Christi, vivificandam, et suscitandam, ut clare indicant verba eiusdem (*Cantic. 8*): *Sub arbore malo suscitavi te, tibi corrupta est mater tua, tibi violata est genitrix tua. Quae verba licet quidam haeretici cum Mercero, immo, et nonnulli eruditii catholici, ut Agathias, Nannius, Genebrardus, Lysius, Osorius iunior, et alii putaverint esse sponsae; Patres tamen partim Graeci, ut Theodoros, et Phyllo, Latini vero permulti, Cassiodorus, Gregorius, Apollonius, Angelonius, Alcuinus, Beda, Anselmus, Aymon, Honorius, Rupertus, et divus Thomas expresse docent, verba illa esse sponsae ad sponsum, qui crucem consulto vocavit arborem mali, quia sponsa fructui huius arboris illum antea comparaverat: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub hac ergo crucis arbore ait se suscitasse sponsam peccatis mortuam, et errorum tenebris sepultam. Quod autem verba illa geminat, quae idem prorsus significare videntur: *Ibi corrupta est mater tua, tibi violata est genitrix tua; illud arcanum continet, quod sub arbore non una, sed duplex mater corrupta fuerit a moechi caecodaeomone. Prior generis humani naturalis mater Eva, et*****

posterior Synagoga mater Ecclesiae spiritualis: illa corrupta fuit, dum pomo vetulo vescitur:

Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit;

haec vero violata fuit, quando auctorem vitae in crucem egit. Sub eadem autem crucis arbore diversam Hebraei sortem subiere: nam maior illa pars, pontifices, sacerdotes, scribae, pharisaei, et saducei, qui plebem instar matris, doctrinae lacte nutrire debebant, mortis aeternae damnationi fuit addicta; filia vero illius, scilicet, plebecula, mulierculae, piscatores, et ignobiles alii, a Christo regenerati fuerunt, dum sicut ex Adami costa, sic ex Christi latere, Ecclesia prodiiit christiana. Unde sicut communis in ligno vicit, ita quoque in ligno vincit, victus fuit iuxta illud:

Et medellam ferret inde
Hostis unde laeserat.

Nec desunt qui pie interpretantes praedicta verba: *Sub arbore malo suscitavi te*, tunc ad litteram autument verificata, cum Christus Dominus sub crucis arbore extitit. Tunc autem proprie sub illa extitisse perhibetur, quando postquam carnicifex eum cruci affixerant, corpus eius sic affixum versus terram convertentur, ut clavorum cuspides melius intorquere potuissent. Tunc ergo, inquam, sic conversus Dominus sub cruce existens, suscitavit emortuam sponsam suam, iuxta illud (*Psal. 84*): *Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua laetabitur in te, et illud (Psal. 70): Conversus vivificasti me, et de abyssis terrarum iterum reduxisti me. Pla sane allusio, nolo inficiari illam: sed nec diffileri possum, quin si fructus passionis Christi, et immortalitatis gloriae, ac celeris triumphantis eius resurrectionis cogitationes in mentem Virginitis tunc incidissent, mirum in modum illum consolarentur; at dum Hieremias vocat illam (*Thren. 1*): *Desolatam, et tota die moerore confectam, opinor in corde Mariae, Deo sic disponente, ut omni solatio, etiam interno destitueretur, vel huiuscemodi cogitationum genus aditum non invenisset; vel certe si occurrerunt, prae magnitudine acerbi doloris, omnes penitus suppressas fuisse, ac solum cogitationem acerbi doloris, quem Christus sustinebat, et iacturae tanti boni, quam ipsa patiebatur, virgineum eius cor occupasse, et viscera illius acriter transverberasse; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.**

HOMILIA VI.

Beatissimam Virginem adeo doluisse de morte dilectissimi filii sui, ut vere martyr, et plusquam martyr fuerit, tam sanctorum Patrum testimoniis, quam varis animi conceptionibus palam factimus.

Consuere sacra eloquia, ac sancti Patres ea, quae propter nimiam illorum magnitudinem, quando immensitate, et quasi infinitate redolent, variis titulis, ac nominibus exornare, ut si unum non possit, saltem omnia simul illam aliqua ex parte exprimerent. Hinc ad declarandum peccati gravitatem, nunc tenebras, nunc mentis caliginem, nunc caecitatem, nunc ruinas, et naufragium, nunc mortem, nunc inimicitiam cum Deo illud vocitant. Ad ostendendum similiter eximiam sollicitudinem, et curam, quam Christus Dominus exhibuit in reparatione generis humani, nunc illum pastorem, nunc ducem, nunc patremfamilias, nunc pastorem animarum, nunc pontificem, nunc regem, nunc solem iustitiae, nunc fideiorem, nunc amicum, et fratrem, nunc agricolam, nunc mercatorem appellat, et alia similia nomina, quae sedulam eius diligentiam in reparando genere humano luculenter demonstrant, et tribunt. Non dissimiliter divini verbi praecones tam velutuos, quam novos facilitate video, qui acerbitate doloris, quem beata Virgo in passione, et morte filii sui peritulum contemplantis, variis epithetis, et nominibus, lugubre hoc mysterium Marianae tristitiae, et desolationis hinc ostendunt, ut illam, quoad fieri possit, explicare valeant.

Quidam illud vocant solitudinem beatae Virginitis, alii angustias Dominae nostrae, alii planctum Mariae, alii lamentationem Virginitis, alii compassionem Deiparae, alii transfixionem; ego autem sanctorum Patrum vestigiis insistens, andeo illud appellare martyrium Genitricis Dei: Maria enim in passione Christi simul virgo, et mater extitit; non quia ferro gladii interierit, sed quia acerbissimis doloribus hoc interitum filii sui oppressa fuerit. Testantur Marianam veram martyrem fuisse gravissimi Ecclesiae Patres, quibus refragari summa temeritas esset. In primis d. Bernardus (*ser. qui incip. sig. mag.*) in hunc modum loquitur: *Tere tuam, o beata Mater, animam gladius pertranstulit, quando crudelis lancea filio iam mortuo latus aperuit. Ipsi nimirum anima iam tibi non erat, sed tua plane ovelli nequibat, ut plusquam martyrem te non immerito praedicemus, in qua sensum corporae passionis excessit affectus compassionis: et divus Hieronymus, vel Sophronius, ut alii dicunt (*ser. de Assum.*) inquit: *Quia spiritualiter, et caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Divus Hidelphonsus similia profert (*serm. 2. de Assump.*): *At enim Simeon, vel Dominus ad eam: Et tuam ipsius animam pertranstulit gladius. Quod si gladius usque ad animam perve-***